

*Petronio Bayo -66*

**T I T I**  
**P E T R O N I I**

**A R B I T R I**

**SATYRICON QVAE SUPERSUNT**

Cum integris Doctorum Virorum Commentariis ;

& NOTIS

**NICOLAI HEINSII & GUILIELMI GOESII**

nunc primum editis.

*Accedunt*

**JANI DOUSAE PRAECIDANEA,**

**D. JOS. ANT. GONSALI de SALAS COMMENTA,**

Variae **DISSERTATIONES & PRAEFATIONES,**

quarum Index post praefationem exhibetur.

*Curante*

**P E T R O B U R M A N N O.**



*TRAJECTI AD RHENUM,*

Apud **GUILIELMUM VANDE WATER.**

MDCCX.

1709



V I R O

PERILLUSTRI ET NOBILISSIMO

T H E O D O R O

A

VELTHUYSEN,

TOPARCHAE IN HEEMSTEEDE, WILLESKOP,  
KORTHEESWYK, COLLEGII PRIMARII TEM-  
PLI CANONICO, ILLUSTRIBUS AC PRAEPO-  
TENTIBUS CIVITATIS TRAJECTINAE ORDI-  
NIBUS PRIMI LOCI ADSCRIPTO, AD CONSES-  
SUM ORDINUM FOEDERATI BELGII LEGATO.  
CONSILII UTRIUSQUE LECCANI SUPERIO-  
RIS ET INFERIORIS ADSESSORI, MERITIS IN  
REM PUBLICAM ET LITERARIAM CONSPI-  
CUO.

S D.

PETRUS BURMANNUS.



ihil hominum, in eadem civitate & communi con-  
sociatione viventium sorte, conditione, vitae, mu-  
nerum & sententiarum varietate est dissimilius, &  
diversum magis: quae tamen ipsa, nisi interce-  
deret distinctio, omnia brevi turbata collaberentur,



# D E D I C A T I O.

tur, neque diu ulla societati ratio constaret. Ut vero tam dispar-  
 res fortunis & studiis homines aequalitas quaedam necessitudinis  
 & conjunctionis conciliaret & contineret, non aliud efficacius ad  
 confociandas mentes vinculum excogitari potest, quam si illi,  
 quos & nascendi felicitas, & deinde merita in primum locum &  
 ordinem evexerunt, non potentiam suam in humiliores impor-  
 tune exerçant, aut opibus & honoribus ad inferiores premen-  
 dos abutantur, sed hunc unicum excellentiae & praestantiae suae  
 fructum arbitrentur, ad tuendos illos, qui in fidem & cliente-  
 lam eorum concesserunt, se componere, & omnibus, qui ad  
 eos confugiunt, decus & praesidium praestare. Hoc, si ulla um-  
 quam civitas ad felicitatem publicam facere posse intellexit, Ro-  
 mana certe, in arctissimo illo Patronorum & Clientum foedere  
 ostendit, & nihil antiquius, & ad concordiam civium conser-  
 vandam esse praesentius, quam mutuuum illud officiorum com-  
 mercium re ipsa demonstravit. Hoc admonebat potentiores ex  
 uberrimo & amplissimo divitiarum & opum fonte largos in te-  
 nuiores cives rivos deducere; hoc vicissim humiliorum multitu-  
 dinem à vi & impetu reprimebat, & patronos, sicut parentes,  
 esse colendos praecipiebat. Quamvis vero haec praeclara clien-  
 tulae jura & officia, non tam expressa in nostra civitate observen-  
 tur, videre tamen licet effectam satis hujus saluberrimi instituti  
 imaginem: nemo enim honestioris ordinis civis reperitur, qui  
 non quosdam opibus & dignitate conspicuos viros observet & co-  
 lat; eorum in administranda republ. consilia laudet, conatus ad-  
 juvet, & merita praedicet & commendet. Cum vero fieri ne-  
 queat, ut omnes, qui gubernacula rerump. tractent, eandem  
 sectam sequantur, sed saepe in sententiis de summa re ferendis  
 graviter dissideant, hinc etiam evenire solet, ut eadem studiorum  
 & voluntatum varietas inter cives propagetur, neque solae in  
 curia factiones regnare videantur: plerumque vero plebis & ci-  
 vium



D E D I C A T I O.

vium viliorum multitudo, impetum mentis, & externam rerum speciem sequentes, eos affectari consuevit, qui populari auro abutentes, operam suam ventosis & inanibus verbis venditant. Sanior vero & integrior populi portio bonis & optimatibus favere, unicum patriae amantis civis officium esse credit. Hos non sibi, sed communi saluti studere, hos leges, quibus ipsa reipubl. fundamenta innituntur, tueri, hos instituta majorum, quae sinceris adhuc temporibus fuerunt introducta, conservare melius arbitratur. Talibus non Te modo, **VIR PERILLUSTRIS**, ego, sed omnes qui Optimatium recte & fortiter rempublicam gerentium se clientes professi sunt, annumerandum jure tuo semper censuerunt, & hanc familiae Tuae splendidissimae nobilitatem, & ab ipsis libertatis nostrae initiis praecipuam laudem fuisse agnoscunt. Tulit gens Velthusia, & patriae suae exhibuit, semper viros, non modo innocentia & sanctitate vitae conspicuos, sed fortissimos & prudentissimos proceres, qui rempubl. non ex alieno arbitrio, aut impotentioribus addicti, sed ex sua sententia gesserunt, qui nullas à publicis separatas rationes cum haberent, omnes animi & corporis vires ad commoda & salutem communem civium intendebant. Quibus meritis, etsi non aequam saepe mercedem reportaverint, constanter tamen propositum tenuerunt, neque à via, semel optimo consilio instituta, deflectere vel declinare voluerunt. His domesticis imaginibus, & exemplis à majoribus Tuis proditis, Tu Vir Perill. excitatus, cum ad rempublicam accederes, eo maxime tempore, quo gravissima tempestas meliorem civitatis partem dejecerat, & in primis familiae tuae antiquum florem & splendorem foedaverat, talem Te universis statim probasti, ut omnes boni meliora & mitiora tempora sibi dehinc sponderent. Tanta aegram rempublicam solertia tractabas, tam docta manu ipsa vulnera conducebas, ut Tua praefertim opera brevi in priscam sanitatem coitura viderentur. Et



D E D I C A T I O.

cum multi post tam vehementes motus, vix sibi promittere aude-  
 rent tranquilliorum statum, sed augurarentur fere omnes, tot procel-  
 lis quassatam navem, tot fluctibus jactatam, non evasuram nau-  
 fragium, Tu prudenter tempori serviendo, prohibuisti, ne prae-  
 ceptis in profundum abiret, et manu gubernaculo admota, ela-  
 borasti, ut sensim et cunctanter eluctaretur et emergeret. Aper-  
 tius autem se egregie erga patriam adfectae mentis argumenta pro-  
 diderunt, cum laeta nobis illa illucescerent tempora, quibus Ma-  
 gistratus, omni gravioris imperii metu soluti, libere suam de sum-  
 ma republica sententiam ostendere potuerunt. Tu novum quasi  
 libertatis reviviscentis signum, quod eo tempore erigebatur, et ad  
 quod certatim omnes in dignitate constituti viri convolabant, non  
 modo sequendum, sed ita esse vindicandum et propugnandum  
 ostendebas, ut nulla iniquitas temporum, nullae malorum ma-  
 chinationes denuo illud e manibus custodum evellere auderent.  
 Neque, quamvis ex tam felici rerum conversione, maxima Tibi  
 dignitatis et auctoritatis fieret accessio, hoc tempus captandum esse  
 putabas, ut illis, qui prospero rerum suarum cursu ablatis, potentia  
 sua, non sine aliorum detrimentis, abusi fuerant, vices rependeren-  
 tur. Omnibus, qui Tecum manus ad recreandam rempubl. con-  
 sociabant, auctor eras, nullam praeteritarum injuriarum memo-  
 riam, nullam ulciscendi contumelias libidinem, praesentem de-  
 bere reipubl. statum turbare. Lenissima esse incedendum via, et  
 ut omnes motuum et seditionum causae praeciderentur, acta po-  
 tius priorum temporum esse confirmanda, quam, intempestivo ar-  
 dore, ipsa malo graviolem medicinam adhibendam. Alia enim  
 semper fuit factiosorum coetuum, alia Optimatum, qui concordii  
 animo in communem salutem conspirant, ratio. Hi tantam ab  
 omnibus suae potentiae, et opum, quas in curia et conventibus  
 publicis parant, suavitatem sentiri volunt, ut non modo boni,  
 qui sub jugo olim gemebant, recreentur, sed ut illi ipsi qui prae-  
 senti



## D E D I C A T I O.

senti rerum statu non contenti esse creduntur, ab omni metu dominationis sibi adversae liberentur, et, si legibus aequissimis parere velint, sub procerum praesidio, tamquam sub grata quadam umbra recubare possint. Et experti sumus omnes, cum vicinas jam civitates pestilens quoddam sidus adflaret, summam, in maxima rerum conversione, quietem, cum nemo Ultrajectinorum Procerum inveniretur, qui ambitione, iniquitate, aut crudelitate bonam causam corrumpere; Imo ita odia omnia detumuisse videbantur, ut nullas umquam aliquis injurias passus videretur. Certe Te, Vir Perill. et omnes tibi sanguinis vinculo conjunctos, moderationis eximiae documenta edidisse, omnes fatentur, qui norunt, nulli primariarum familiarum majorem calamitatem incubuisse, quam Velthusiae. Contempletur, qui me haec temere adfirmare credet, insignia illa duo Tuae gentis sidera, Wernerum et Lambertum, Fratres mutuo inter se amore, et communibus in patriam studiis conjunctissimos, qui in acerba illa et luctuosa tempestate de gubernaculis republicae, cum omnibus cognatis et amicis, dejecti fuerunt. Sed cum ipsi illi Viri fortiter hanc fortunae saevitiam sustinuerint, et tela illa ad bene in utramque partem praeparata pectora non attigisse, aut laesisse testati sint, quid, quaeso, causae esset, ut eorum gentiles et cognati vindicandam hanc temporis magis, quam civium iniquitatem esse censerent. Donandam Reipubl. non persequendam esse ipsi, alto et magno animo, non modo semper prae se tulerunt, sed re ipsa praestiterunt, et tam quietae et tranquillae vitae, ad quam jam olim praesidia in ipsis prosperis, assiduo sapientiae studio, sibi paraverant, se dediderunt, ut augustiores apparerent privati, quam olim in honoribus et purpura effulserant. Quibus et quam efficacibus solatiis non tam suam, quam patriae calamitatem levarent, Socraticae illa sapientiae plena Lamberti ad Fratrem epistola, quam operibus suis, aeternum victu-

\*\*

ris,



D E D I C A T I O.

ris, praescripsit, ignaros docere potest; quae cum vim et civitati universae à fociis et foederatis factam, et injuriam honestissimis civibus ab hospitibus et peregrinis illatam perspicue ante oculos ponat, simul conscientiae talium virorum integritatem, et ab omni criminum suspicione immunitatem demonstrat. Sed refricare haec vulnera non lubet; quamvis nullum periculum sit, quae tua est animi mansuetudo, ex illa commemoratione exulcerari mentem tuam posse, qui semper recte judicasti, feliciores fuisse, qui injuriam passi fuerunt, ipsis illis, qui intulerunt. Hoc vero unicum, **VIR PERILLUSTRIS**, à me adjici ne graveris, hanc, tam insignibus Viris et Familiae tuae impositam calamitatem, nulli unquam luctuosiore et magis illaetabilem visam fuisse, quam Parenti meo, qui tam arcte, et amicitiae vinculo, et similibus erga rempubl. studiorum consensione, Lamberto et reliquis Velthusiis erat conjunctus, ut omnia cum illis semper, sive prospera, sive adversa, communia sibi duxerit. Nam ex quo tempore primum huic urbi pedem intulerat, cum videret se objici, et furentium Theologorum contra Magistratus rabiei, et calumniis civium contra suae, quam profitebatur, disciplinae integritatem, ad quos se tutius adplicaret, quam ad fidissimos et fortissimos navis publicae gubernatores? Ad quorum nutum, tamquam certissimum astrum, cursum suum dirigeret, et quibus operam suam, Ecclesiae et Academiae addictam, approbare malebat, quam pullatae plebi se Tribuniciiis concionibus venditare. Gratus enim Deo ipsi fore sibi persuadebat, promptum legibus et Magistratibus obsequium praestare, quam infrenem turbam, inani sanctitatis et pietatis opinione sibi prius conciliatam, invidiosa oratione in proceres concitare, et ex falsis optimatum criminationibus imperitae multitudinis applausum captare. Hanc vitae sectam cum constanter sequeretur, et innocentia summa et simplicitate ipsos calumniatores, qui nihil jure in eo cul-

pan-



D E D I C A T I O.

pandum reperire poterant, irritaret; quid quaeso, ipsi exspectandum erat, submotis et dejectis, qui contra omnes injurias ipsi semper egregie adfuerant, patronis. Quam si providere ulla mentis sagacitas potuisset procellam, quanto rectius numquam pedem in hanc urbem, perpetuam sibi palaelstram futuram, intulisset, aut in rem suam melius consulisset, si sedes dudum mutasset, et discordem Trajectum, ut commodissima se bis terve ostentabat occasio, reliquisset sua in viscera saevientem? Sed retinuerat eam suavissima illa Velthusii sui et aliorum sibi faventium Rectorum consuetudo, et, qua florebat apud eos, gratia molestias omnes facile abstergebat. Sed cum illorum ruinae involutus, et praeter omne jus, commodorum bona parte fraudatus, quotidie non à viris, sed primae lanuginis adolescentibus, et pueris, qui omnibus ejus actis publicis obstrepebant, vexatus, omni calumniarum genere, immixtis et subornatis falsis criminibus, quasi neque vitam sancte ageret, neque recte de religionis capitibus sentiret, agitatus, aegram et laboribus incredibilibus exhaustam in luctu animam trahere cogere, quae poterat in hac urbe voluptas, quae jucunditas recreare? Sibi omnia, etiam debita, maligne praeberi, imberbes et immeritos, ideo tantum, quia in Burmanno vexando impudentiae caninae singularia specimina ediderant, honorari cernebat. Quid faceret? non erant Velthusii, non alii, ad quos despectus et contemptus decurreret; unicum, et id ne quidem satis tutum, supererat, communem cum illis calamitatem tacite deflere, et Deo causam suam et omnium bonorum committere. Vides, vir Illustrissime, quam non longe sit arcessenda causa et origo, meae ergo Velthusiam gentem, in cujus clientelam se jam olim Pater addixerat, venerationis, quam à parente traditam constantissime semper custodivi. Puer, et vix quid res humanae ferrent prudens, millies ab Illustri illo Lamberto Velthusio, quotidie in aedibus paternis versante, ad virtutis



et sapientiae studia inflammatus, post etiam Patris, laborum affiduorum onere, et scaevae fortunae ictibus prostrati, immaturam mortem, ab eo susceptus, et quotidianis adloquiis excitatus, quid aliud menti meae inculcari poterat, quam nihil mihi antiquius habendum, nihil prius esse annitendum, quam ut talem me paternis amicis approbarem, qualem illum cognoverant et amaverant? Et licet forte ardentior illa adolescentiae effervescentis vis, proniorem me in talium virorum causam impulerit, quam quidem alii, qui prudentiae nimiae sub specie languere malunt, probarent, in istam potius partem me peccasse non poenitet, neque umquam, spero, poenitebit: Ejurare enim, ut nec nomen paternum licet, ita nec mores et instituta libet, et cum procul ab omni ambitione in literario otio semper vitam agere, ab ipsa pueritia, mihi proposuerim, hoc libertatis mihi reliquum fore semper confido, tales colere et observare, quos vere patriae amantes, recti justique custodes, et doctorum Maecenates esse mihi persuasero. Inter illos autem Te, in primis Vir Perill. ut semper feci, venerabor; Tu enim, familiae et nominis Velthufiani semper studiosissimum, quam primum in publicam lucem, me, quaecumque ea sint, studia et famae primordia protulerunt, prolixè amplexus es: Tu favore, amore, et, si liceat tantum mihi sumere, familiaritate quadam ita me devinxisti, ut cui in hac civitate, praeter Te, plura debeam, neminem agnoscam. Patere ergo, quaeso, quae insignis Tua est humanitas, hanc à me Tibi publicam gratiae mentis et officii testificationem offerri, neque dedignare Clientis tui, si qua egeat, tutelam suscipere. Non vero is sum, qui tam splendore dignitatis, quae tamen in Te summa est, nec tam pupurae Tuae fulgore, qui late splendet, ut vilis adulator trahor, mox iterum, si forte illa fortunae ornamenta, ut fieri solet et potest, exciderint, turpiter deserto patrono, ad alios me collaturus. Rapiunt, et semper rapuerunt, me in Tui venerationem



D E D I C A T I O.

tionem singularis illa et constans de patria bene merendi voluntas, animus ad omnia, quae pulchra et honesta sunt, pro libertate et bona causa audendi, paratissimus, susceptum semel, et in quo permanes, consilium omnes bonos et Tibi probatos protegendi et ornandi. Denique me insignis illa semper adfecit in omni vitae parte moderatio, quod in amplissimis honoribus, quibus merito ornaris, nulla impotentiae aut effrenatoris animi signa prodas; quod in maximis divitiis et adfluentibus vitae privatae commoditatibus, nullum intemperantiae, nullum luxuriae argumentum ostendas. Quod raram illam, et paucis divitibus concessam, fruendi opibus artem, tam prudenter et praeclare exerceas, ut neque in profundendo nimius, neque in strangu-landis intra arcam nummis adstrictus et tenax, auream illam mediocritatem, et veram liberalitatem exhibeas. Te pauperes et egeni beneficium, amici prolixum et comem, omnes Te bonum et tantis opibus dignum sentiunt et praedicant. Has in Te dotes, Vir Perill. etiam si omnes dignitatum et honorum phaleras Tibi insperata temporum iniquitas detraheret, perpetuas et proprias agnosceremus, et meritis laudibus prosequeremur. Et facile me ita vere, et ex animo sentire, fidem Tibi facturum confido, qui me noveris minime ad adulandum aut blandiendum factum, sed apertum, et ultra forte, quam expedit, liberiolem. Numquam ego tam callidus fui, ut aliud pectore clausum, aliud ore et verbis praefere, prudentiam et sapientiam summam esse crediderim; sed Batavicae illius simplicitatis amantissimus, ex animi sententia intimos mentis sensus aperire soleo. Novi optime hac via multorum odium parari, neque ad magnifica quaeque et splendida, quae venantur homines, perveniri: Sed cum nulla unquam me tentaverit ambitio, nulla ampliora, quam quae consecutus sum, obtinendi cupiditas, neque spes improbas aliam, quid causae quaeso esset, cur in turpem me alicui servitutem



## D E D I C A T I O.

traderem. Contentus mea, quam Deus dedit, sorte, si iis, quae possideo, tranquille frui, si libertate, omnibus civibus communi, uti, si statum illum, in quo me collocavit, non emendicatus Procerum favor, aut cognatorum, quos in hac urbe nullos in Magistratibus umquam habui, potentia, sed aliqua diligentiae et industriae fama, et auctoritas et commendatio summi Graevii (cujus suffragatio me non plane ad eam administrandam provinciam ineptum esse, aequis literarum aestimatoribus persuadebit) retinere, et partes mihi creditas alacriter obire et ornare concedetur, omnium mortalium me beatissimum judicabo: sin adversa inciderint tempora, et calumniis atrocissimis, et injuriis ita me vexari et inquietari videam, ut tranquillitatem illam, quae ad studia nostra excolenda pernecessaria est, turbent haereditarii nominis mei hostes, non cedere, sed fortia sceleratis et facinorosis hominibus pectora opponere, et omnia prius perdere decretum est, quam permittere, ut de fama et adquisito honestissimis artibus splendore, vel minimum deteratur. Sin minus; tam laetum mihi tempus et faustum olim apparituum voveo et opto, quo Fortunae et Spei valedicens, et resignans, si qua dederint, musaeo meo ita me includam, ut nec ipsum Atridarum nomen exaudiam, et solae me, à quibus me nunc invitum toties avocant innumerae curae, et res non magni saepe momenti, literae delectent et occupent; quo recolere et celebrare illa studia, in quae ab ipsa pueritia me ardor summus tulit, in otio tranquillissimo licebit. Interim ad Te, Vir Perillustris, qui summum semper studiis honorem et amorem exhibuisti, qui me in amicitiam, imo fidem et clientelam recipere dignatus es, decurro, patrocinium tuum, si quando eo opus sit, contra juratos et capitales hostes imploro, et ne pati velis, innocentis hominis famam, calumniis et maledictis hominum, omnibus flagitiis et sceleribus coopertorum, vexari et lacerari, precor.

Neque



D E D I C A T I O.

Neque tamen, ut pro Cliente tuo ullam publice suscipias causam peto, aut aliquid tibi pro me conandi laborem imponas; unicum, quod animum mihi explere poterit, et simul invidos vanas spes fovisse ostendet, rogo, ne antiquum, quo me semper complexus es, favorem erga me meosque intermittas: ipsos enim calumniatores in ruborem ituros satis scio, ubi viderint nihil apud Te et alios bonos, quorum favorem mihi invident, calumnias illas effecisse, neque, quod forte intendunt, me gratia optimorum virorum et Procerum excidisse animadverterint. Triumphasse mihi videbor, ubi pristinum, quem adhuc tenere potui, locum apud Te tueri licuerit, securus, quid diversarum partium affeclae de me confingant, et ferreo illo, quo conspiciuntur, ore mentiantur, et per omnem, non modo urbem, sed Belgicam differant. Excitabit etiam nova in vitae meae consuetudinem et mores, haec, quam scriptori huic Satyrico impendi, opera, dictoria; et quod ex magna veterum scriptorum copia hunc potissimum elegerim, in quem vires ingenii et eruditionis periclitarer, semidocti quidam magistelli me, et in libidines pronum, et linguae procacis hominem esse, arguent. Quas malignorum criminationes et detrectantium mendacia, non hodie demum in me vibrata, jam diu contemnere didici; ea proficisci à talibus gnarus, qui verum sibi dici numquam libenter audiunt, et malunt casti haberi, quam vivere: qui suam in Petronio imaginem expressam, et vivis coloribus depictam deprehendentes, indignantur libere nimis seculi depravati mores exponi. Exprobrari sibi à viris doctis ignaviam et juventutis corruptelam, Paedagogi potius viles, quam bonarum artium Professores habendi, toties arbitrantur, quoties aliquid vere et candide in corruptas studiorum vias, à doctioribus, sive in orationibus publicis, sive in scriptis commentariisve dici audiverint vel legerint; et communes publicasque omnis aevi Eruditorum querelas, et expostulationes, in se  
 prae-



# D E D I C A T I O.

praecipue vibrari existimant. Sed cum Tu, Vir Perillust. semper ingentem severiorum Musarum amorem prae te tuleris, et hos plebejos juventutis praeceptores, qui extra dictata sibi à magistris tradita, ne hilum quidem sapiunt, non magno in honore habeas, ad quem potius Patronum solidae et antiquae eruditionis cultores decurrerent? quem praeter Te laborum suorum et lucubrationum judicem exposcerent? Certe ego, ut Tibi et omnibus bonis in reliqua vita innocentiam et integritatem approbare malo, quam à tumidis et inani sanctitatis specie conspicuis censoribus laudari, ita malo quoque mea, qualiacumque ea sint, scripta et commentationes Tibi non abjicienda videri, quam si universus Marsyarum grex mihi incondito quodam murmure adplauderet. Si Magistratibus, quibus solis rationem mei muneris reddendam puto, diligentiam et industriam, si Viris literarum nostrarum peritis, et extra omnes partes per universum orbem positis, nomen meum commendare, et eorum amorem mereri contigerit, nihil mihi cum invido illo, et maligno Momorum choro negotii supereffe credam. Si illustrissimi et unici praeceptoris mei Graevii vestigiis insistendo, Academiae nostrae commoda et gloriam augere et promovere licuerit, coelum ipsum attigisse videbor; denique si Tu, Vir Perillust. prolixum illum erga literas et literatos favorem et voluntatem, qua olim Graevium merito suo es amplexus, in me propagare et extendere volueris, efficiam, ut beneficia in minime ingratum hominem collata intelligas. Tua me benevolentia, ad majorem in recolendis studiis alacritatem incendet et exstimulabit. Faxit modo Deus, ut diu Populo Batavo et Trajectino salvus et incolumis intersis et praesis, ut literae nostrae, non modo Te Maecenatem prolixum et benevolum observent, sed universa respublica Te libertatis avitae et legum aequissimarum tutorem et vindicem veneretur. Nec cives et incolae Te solum in turbulentis et motuum bellicorum plenis

tem-



D E D I C A T I O .

tempestatibus publicae navis peritissimum et cautissimum gubernatorem laudent, sed Pacis tam diu exspectatae, et ad quam conciliandam operam et consilium semper attulisti, adfertorem praedicent, et extollant. Sic denique cum meritis honor et dignitas Tibi crescat et amplietur, sic auctoritas, simul cum usu rerum et aetatis maturioris gravitate, Tibi augeatur, ut non praesens modo aetas laudes tuas debitis praeconiis celebret, sed etiam grata posteritas Velthufiani nominis memoriam seris nepotibus perenni commemoratione commendet. Dabam Trajecti Batavorum Kalendis Juniis clō Io ccix.

\*\*\*

P R A E-